

Q. D. B. V.

שְׁמַע יְהוָה קָדוֹם
S E V

APPROPINQVATIONEM
NOMINIS DIVINI,

E X

PSALMO LXXV, 2,
PRAESIDE

VIRO MAGNIFICO AC SVMME REVERENDO

DN. HENRICO KLAWSING,

SS. THEOL. DOCTORE AC PROFESSORE
PVBLICO, ECCLES. CATHEDR. MISEN. CANON. ALVMN.
REGIO-ELECT. EPHOR. NAT. SAXON. SENIOR., ACADEM.
DECEMVIR. ET COLLEG. MAIOR. PRINCIP.
COLLEGIATO,

PATRONO AC PRAECEPTORE SVO OMNI
HONORIS, AMORIS ET OBSERVANTIAE CVLTV,
PARENTIS LOCO, AETERNUM DEVENERANDO,

I N A C A D E M I A L I P S I E N S I

A. R. S. MDCCXXIII. DIE XXV. IVNII

H. L. Q. C.

PROPONET

AVTOR & RESPONDENS

GODOFREDVS HOFFMANNVS,

LOMMACIO - MISNICVS,
S. S. THEOL. CVLT.

L I P S I A E,
LITERIS IMMANVELIS TITII.

XXXII. 22

Coll. diss. A
186, 24

99. f. 186(24)

CHRONICA
TRANSLATA
IN LITERATURAM



22



בשׁ

ARGUMENTUM TOTIUS DISSERTATIONIS.

Præfatio ostendit scopum totius dissertationis & divisionem in Sectiones duas, quarum Exegetica altera, altera dogmatica est.

SECT. I. EXEGETICÆ

- §. I. De Auctore Psalmi LXXV. quedam proponit.
- §. II. De scopo totius hujus Psalmi agit.
- §. III. Exhibit textum & versiones quasdam versiculi secundi.
- §. IV. Explicat Nomen Dei.
- §. V. Exponit vocabulum appropinquationis.
- §. VI. Interpretatur nomen miraculorum.
- §. VII. Responsionem suppeditat ad objectiones dissentientium, si quæ sunt.

SECT. II. DOGMATICÆ

- §. I. Explicat naturam appropinquationis Nominis Dei.
- §. II. Dividit appropinquationem Nominis Dei, in regnogratia, in activam & passivam.
- §. III. Distinguit iterum appropinquationem activam illam,

in appropinquationem salutaris gratiæ, & specialis providentiæ.

§. IV. *Describit appropinquationem activam salutaris gratiæ.*

§. V. *Eandem hanc activam appropinquationem dividit secundum diversam œconomiam Veteris, & Novi, Testamenti.*

§. VI. *Appropinquationem per verbum Evangelii utriusque Testamento communem esse, ostendit.*

§. VII. *Idem de appropinquatione per verbum legis demonstrat.*

§. VIII. *Idem asserit de appropinquatione per miracula.*

§. IX. *Explicat appropinquationem Nominis divini in circumcisione V. T.*

§. X. *Ostendit, appropinquationem Nominis divini factam quoque esse in Agno Paschali.*

§. XI. *Exponit appropinquationem ejusdem Nominis Dei, quæ fit in baptismo, &c, quæ fit*

§. XII. *In cœna Domini.*

§. XIII. *Subjungit appropinquationem Nominis divini per Christum in typis factam.*

§. XIV. *Agit de appropinquatione ejusdem Nominis, per Christum in carne facta.*

§. XV. *Explicat hujus Nominis appropinquationem, secundum omnes gradus gratiæ Spiritus Sancti applicatricis.*

§. XVI. *Proponit appropinquationem Nominis Dei secundum specialem providentiam divinam.*

§. XVII. *Interpretatur appropinquationem fidei passivam, quod attinet ad idem hoc Nomen Dei.*

§. XVIII. *Concludit hanc qualencunque meditationem, demonstrando prærogativam Christianorum præ omnibus aliis gentibus.*

Q. D. B. V.

Q. D. B. V.

DE

APPROPINQUATIONE NOMINIS DIVINI.

PRÆFATIO.



Uoties in sacris literis Deus dicitur suis suam manifestasse præsentiam, suis secundum gratiam singularem operationibus, aut providentiam specialem, & quoties iterum vere fideles ac pii, sincero Deum prosequentes amore, dicuntur ex toto animo ad Deum converfi, toties ferre simul appropinquationis nominis divini mentio injicitur. Ex quo apparet, plus significari per appropinquationem nominis hanc divini, quam vulgo creditur, aut illi opinantur, qui experiendo de hac re nihil addidicerunt. Et, licet hanc nominis divini appropinquationem, nobis in hac vita mortali vix inchoative, καὶ ἐκ μέρες liceat percipere, ὡς ἐν αὐτοῖς, i Corinth. XIII, 9, 12, measque speciatim vires, quas sentio, quam sint exiguae, hæc materia longissime exsuperet, tamen operæ esse pretium putavi in hoc argumento meas, qualesunque illæ demum sint, periclitari vires, & quid per hanc Nominis divini appropinquationem intelligatur, inquirere. Fundamentum hujus instituti præbeat oraculum illud Davidis, quod in Psalmo occurrit LXXV, 2. Tractationis autem universæ, ut ordine singula procedant, omniaque plane ac plene proponantur, quæ explanare con-

A 3

stitui,

stitui, sint sectiones duæ: Exegetica altera, altera dogmatica, dicatur. Nomen autem Dei sit mihi, etiam in præsenti hoc negotio, propinquum, efficiatque, ut & hic labor ad ipsius gloriam, & multorum emolumentum, convertatur.

SECT. I. EXEGETICA.

§. I.

QUod ad auctorem attinet Psalmi LXXV, hic, si titulo, huic Psalmo præfixo, ejusdemque explicationi communiori inhærendum est, Assaphus erit, licet ad hanc sententiam multi multa soleant excipere, præsertim illi, qui omnes Psalmos CL soli tribuunt Davidi, secundum illud Talmudistarum: **כָל תִּשְׁבֹחוֹת הָאָמָרוֹת בְּסֶפֶר תַּהֲלִיב כּוֹלֵן רְוִיֵּד אָמְרָן**: Omnes laudes, quæ dicuntur in libro Psalmorum, omnes illas dixit David. AUGUSTINUS, certe Lib. XVII, de Civit. Dei Cap. XIV, mibi, scribit, credibilius videntur existimare, qui omnes illos CL Psalmos Davidis operi tribuunt, eumque aliquos prænotasse etiam nominibus aliorum, aliquid, quod ad rem pertineat, figurantibus; ceteros autem nullius hominis nomen in titulis habere voluisse: Sicut ei varietas hujus dispositionem, quamvis latebrosam, non tamen inanem, Dominus inspiravit. Atque, ut hanc suam sententiam tueatur, addit, nomen Assaphi in titulis Psalmorum quorundam appellative explicandum esse de Synagoga, quod vide re licet ex Tom. VIII. Oper. p. 788, & quidem in enarratione Psalmi LXXII, qui nobis est LXXIII. Nos, cum de illis copiose agant alii, nihil hic addimus, nisi illud unum, quod, cur Assapho hic Psalmus LXXV denegetur, nulla causa necessaria possit allegari: Constat enim de illo, non solum ex I Chron. VII, 20, sqq., quis fuerit, nempe ex Gersonitarum familia

milia oriundus, decimo quinto nativitatis gradu a Levi, communis tribus suæ parente, distans, sed & illud, quod spiritu dominique prophetiæ fuerit instructus, uti patet ex 2 Chron. XXIX, 30, ubi, propter hæc dona, & ratione officii, dicitur **הַחֹזֶה**, *videns*, seu *Propheta*. Quid? quod ipsi Psalmi dicantur ibidem **רְבִרֵי רְוִיד וְאָסָף**, *verba Davidis & Assaphi*. Neque est, cur velit aliquis hic obvertere, quod argumentum Psalmi LXXV non congruat Assapho, personæ autem, & statui Davidis, quam maxime sit conveniens. Congruet enim omnino hic Psalmus Assapho, dummodo scopus ejusdem & argumentum recte exponatur, observeturque illud probe, quod non solum David, sed & tota Ecclesia, omnesque pii ac fideles in hoc Psalmo, quasi loquentes, in medium adducantur, ipseque Assaphus, nomine Davidis, futura simul prædicet.

§. II.

Non ignoro, multas esse & admodum discrepantes, aliorum de scopo Psalmi LXXV opiniones. Sunt, qui arbitrantur, hunc Psalmum esse propheticum & respicere liberationem ex captivitate illa, qua olim populus Israeliticus tenebatur, Babylonica, cuius intuitu NICOLAUS de LYRA Psalmum hunc refert ad tempora Cyri, & depulsæ ab Israelitarum gente servitutis. Confirmare hoc intendit ex hujus Psalmi inscriptione, quando prima ejus verba, *ne perdas*, sic interpretatur: *Servasti Ecclesiam tuam, optime Deus, per annos septuaginta, sub durissima illa captivitate: Ne perdas itaque hos, sed pro bonitate tua serva, protege, custodi nos* &c. Quæ sententia etsi improbanda simpliciter non sit, quoniam ab universa Ecclesia, de qua agit hic Psalmus, ad Ecclesiam particularem Israelitarum omnino valet quædam consequentia, tamen non exhaustit argumentum universum & sco-

pum

pum totius Psalmi. De aliorum, de quibus nunc agere nihil attinet, similibus explicationibus simile esto judicium. Placet enim, & omnibus facile præferenda esse aliis videtur, illorum sententia, qui, solidis innixi fundamentis, ostenderunt, contineri in Psalmo LXXV colloquium quasi aliquod Filii Dei & Ecclesiar pressæ, seu omnium fidelium, in adversitatibus constitutorum. Hoc posito, scopus totius Psalmi erit, consolari Ecclesiam, multis malis & persecutionibus distractam, & quidem solatii argumentis desumptis α) A perpetua Nominis divini præsentia, vers. 2, β) A justo judicio divino, vers. 3, γ) A promissionibus divinis, fidelibus datis, de eorundem conservatione, vers. 4, δ) A justa vindicta divina, vers. 5 - 9, ε) A totali infidelium extirpatione, vers. 10, sq.

Confer. GESNERI *Commentat. in hunc Psalmum.*

§. III.

Textus ipse, quem explanandum mihi sumsi, ex Psalmo LXXV, commate 2, in fonte ipso sic fluit:

הָזְדִינוּ לְךָ אֱלֹהִים הַזְדִינֵנוּ וְקָרוּב שֶׁמֶךְ סְפִירוּ נְכִילָתִיךְ:

In Versione Septuaginta-Virali sic se habet:

**Ἐξομολογησόμεθά σοι ὁ Θεὸς, ἐξομολογη-
σόμεθα, καὶ ἐπιμαλεσόμεθα τὸ ὄνομά σου· διη-
γήσομαι πάντα τὰ θαυμάσιά σου.**

Vulgata fontem ita exponit:

Confitebimur tibi, Deus, confitebimur, & invocabimus nomen tuum: Narrabimus mirabilia tua.

Osiandri hæc versio est:

**Confitebimur tibi, Deus, confitebimur,
lauda-**

laudamus te, Deus, laudamus & invocabimus,
propinquum est nomen tuum. Narrabimus,
narrabunt mirabilia tua.

Sebastianus Schmidius ita transtulit:

Confitemur tibi, Deus, confitemur, & pro-
pinquum (labiis nostris) nomen tuum: Enar-
rant mirabilia tua.

Lutherus omnium fere optime sic vertit:

Wir danken dir, Gott, wir danken dir,
und verkündigen deine Wunder, daß dein Nah-
me so nahe ist.

§. IV.

Verba, quæ præcipue exponenda mihi erunt, hæc sunt
שְׁמַךְ יִקְרֹב, & *propinquum nomen tuum*, in quibus facile
primum illud est, quod inquirendum erit, quando quæritur,
quid per *Nomen Dei* hoc loco intelligatur? Scilicet nihil
aliud, quam omnis salutaris gratia, in Christo nobis data,
vel Deus ipse unitrinus, considerandus, tam secundum at-
tributa omnia, speciatimque benignitatem, gratiam & mi-
sericordiam, paternumque erga homines in Christo affe-
ctum, quam decreta & opera, non solum justitiæ, quæ alias
judicia divina dici solent, sed in primis quoque gratiæ suæ,
in verbo Dei nobis revelatæ, adeoque secundum omnia be-
neficia a Christo nobis acquisita, &, per fidem in Christum,
mediantibus verbo & sacramentis, nobis applicanda, oblata
& collata. Inde adeo ipse ὁ λόγος τῆς Θεᾶς, cum prædicaret
Mosi **דָּמָרֵךְ כָּשָׂר**, his utebatur verbis: *Dominator, Domine*
Deus, misericors & gratus, longanimis ad iras, & magnus
benignitate ac veritate, qui servas benignitatem in millia,

B

remit-

*remittens iniquitatem & peccatum: Absolvendo tamen, (nocentem,) non absolvet, visitans iniquitatem patrum super filios, & super filios filiorum, in tertiam & quartam generationem, Exod. XXXIV, 6, sq., in quo oraculo, quasi commentarius aliquis continetur supra a nobis traditæ Nominis divini descriptionis. Quod vero idem in nostro quoque Psalmo LXXV lateat, atque aliunde etiam ex sacris literis demonstrari possit, hoc nunc restat, ut exponatur. Enim vero Assaphus illum, cuius *nomen* dicitur *esse propinquum*, primum in singulari numero alloquitur, לְךָ, quo ipso satis luculenter indicat, se ad Deum unum dirigere orationem suam. Pergit deinde idem Psalmes, ac postea, continuans suam orationem, vocabulo utitur pluralis numeri, אֶלְהִים, quo ipso, ad Deum simul unitrinum suas se convertere preces, clarissime demonstrat. Etsi enim vocabulum אֶלְהִים in sacro Codice, nunc omnes tres personas sacrosanctæ trinitatis manifesto denotet, nunc speciatim ponatur pro duabus personis, nunc pro persona una, semper tamen hoc posterius sit cum connotatione omnium trium personarum, certe cum relatione ad omnes tres personas. Ipsa vox שֵׁם, quoniam hoc loco non tantum in sensu absoluto ponitur, sed & cum addito quodam attributo divino, tam omnipræsentiæ, quam aliorum, quæ per vocabulum קָדוֹם indicantur, de quo tamen infra pluribus agendum, quid aliud, quam ipsum Deum unitrinum significat? Patet illud, cum aliunde, tum vero in primis ex Deut. XXVIII, 58, ubi dicitur הַשֵּׁם הַנְכָּבָר וְהַפְּרָץ, *nomen gloriosum & terribile*, explicaturque statim in verbis proxime consequentibus, per אֶת יְהוָה אֱלֹהִים, per ipsum Deum unitrinum, confer & Psalmum XX, 2, & CXIII, 1, & CXV, 1, & loca longe plura alia Scripturæ Sacrae. Quod proinde apud Jer.*

Jer. XXIII, 23, dicitur אלהי מִקְרָב, *Deus e propinquo*, illud nostro in oraculo intelligitur per שם קָרוֹב. Confirmat idem illud, quo non habemus magis infallibilem testem, ipse Filius Dei, qui prædicans Mosi nomen Dei, ostendit, שם, nomen illud, ipsum denotare Deum unitrinum. Sic enim ille, nomen interpretaturus Dei, respondit Mosi, de hoc nomine quærenti: *Sic dices ad Filios Israel: Jehova, Deus Patrum vestrorum, Deus Abrahami, Deus Isaaci, & Deus Jacobi, misit me ad vos*, cum addita hac asseveratione: זה—שמי לְעָלֶם וַזָּה זָכְרֵי לְדָר הָר hoc est nomen meum in æternum, & hoc memoriale meum in generationem & generationem, Exod. III, 15. Idem hic Filius Dei, cum præteriret Mosen, & simul prædicaret ei nomen hoc, interpretabatur illud per רְחוּם וְחַפּוֹן: יהוָה יְהוָה אֱלֹהִים, *Jehovam, Jehovam, Deum misericordem & gratiosum &c;* de quo jam ante vidimus, ex Exod. XXXIV, 6. Et, ne ex nostro oraculo prorsus deesse videantur argumenta, ex quibus illud appareat, quod hoc loco per השם simul connotetur paternus Dei erga homines in Christo affectus, una cum omnibus reliquis Dei attributis, speciatimque gratia & benignitate, ejusdemque operationibus, respiciendum nunc quoque est ad vocabulum הריני, quod, quando in sacris literis de Deo adhibetur, significat Dei majestatem, bonitatem, justitiam, veracitatem, & potentiam, in primis beneficia Dei, celebrare, vel Deum unitrinum propter benignitatem & misericordiam, &c., celebrare, uti patet ex 2 Chron. VII, 6, & Esd. III, 11, collatis cum antea citato Exod. XXXIV, 6, sq. Atque hæc causa est, quamobrem Prophetæ, & fideles reliqui Veteris Testamenti, quærentes remissionem peccatorum, nunc suorum, nunc totius Populi Israelitici, tam sæpe ad Nomen Dei provocaverint confugerintque, & tam remissionem peccatorum suo-

rum, quam omnis generis beneficia, fibi exoraverint, per & propter Nomen Dei, inque omni denique adversitate in Nomine Dei præsidium, solatium, auxiliumque suum quæsiverint juxta ac invenerint. De Samuele constat, quomodo is, cum populus Israeliticus, rege desiderato, Deum ad iram concitasset, ad Nomen Dei se receperit, inque illo omnem spem collocaverit, cum magna asserens fidei παρέγενσιον καὶ πληροφορίαν: *Non deseret Jehova populum suum, בְּעַבּוֹר שָׁמָן הַגָּדוֹלָה*, propter nomen ejus magnum, 1 Sam. XII, 22. Cum essent in magna captivitatis Babylonicae calamite constituti Jeremias & populus ipse Israeliticus, agnovimus, inquiunt, o Jehova, malitiam nostram, iniquitatem Patrum nostrorum, quia peccavimus Tibi. Tu vero, ne spernito nos לְמַעַן שְׁמָךְ, propter Nomen tuum, Jerem. XIV, 20, sq. Quid dicam de Davide? qui in tot Psalmis prorsus eodem illo sensu, qui antea explicabatur, provocat ad Nomen Dei, v. c., Psalm. XXV, II, CXLIII, II, &c., ut illud nimis longum foret, hic enarrare: Petere enim remissionem peccatorum in Nomine Dei, & propter Nomen Dei, quid aliud est Davidi, quam petere remissionem, per & propter misericordiam Dei, speciatimque propter illam gratiam, quæ in Christo nobis data est. Atque hoc posterius, una cum beneficiis, in Christo nobis datis, acquisitis, oblatis & collatis, per Nomen Dei in oraculo nostro potissimum indicari & connotari, illud, cum aliunde, tum vero in primis appareat ex oraculi nostri, cum Ephes. II, 7, sq., & Act. IV, 12, collatione: Hic enim omnes, ἐξ gratiæ, ἐξ benignitatis divinæ, divitiæ a Christo Jesu derivantur, nec ullum dicitur datum sub cœlo Nomen aliud hominibus, in quo oporteat salvati eos, quam in Nomine Jesu. Atqui de hoc omnes Prophetæ, adeoque & Psaltes noster, testimonium perhibent, quod remissionem peccatorum accipiunt per Nomen ipsius omnes,

omnes, qui credunt in ipsum. Speciatim huc pertinet vocabulum חֶסֶר, quo utebatur ipse Filius Dei, cum Mosis Nomen suum interpretaretur: Hoc enim plus significat, quam, vel Græcorum τὸ ἔλεος, vel Latinorum misericordia, & quandoque, v. c., Ps. XL, ii, per τὴν χάρην recte explicatur, quia denotat illam gratiam divinam & benignitatem, quæ est immerita & indebita, seu prorsus gratuita, qua serio pœnitentibus, & in Christum credentibus, peccata omnia remittuntur, nec pœnæ promeritæ immittuntur, confer de eo Num. XIV, 18, sq, Jon. IV, 2, Mich. VI, 18, Ps. XXXI, 17, CIX, 21, 26. Quod supereft, & spectat ad judiciorum quoque divinorum manifeflationem, quæ supra dicebatur per Nomen Dei simul connotari, hæc clarissimis verbis indicatur in Psalmi nostri LXXV commate tertio & consequentibus, quando, non Assaphus, ut nonnulli volunt interpretes, sed Deus & Christus, *ego*, inquit, טְשִׁים אֲנָשִׁים מְשֻׁרִים, cum reſtitudinibus, hoc est, rectissime, *judicabo, cum apprehendero tempus statum*: Hic est enim idem ille, qui in carne assumpta ipse afferuit, *sibi datam esse potestatem judicium administrandi*, Joh. V, 27, coll. cum Joh. III, 18. Hic est ille, de quo Act. XVII, 30, docemus, *quod Deus constituerit diem, in quo judicaturus est orbem in justitia, per virum, quem destinavit*. Pertinent huc נְפָרָאֹת, *mirabilia*, quorum mentio injicitur in ipso nostro oraculo, quippe quibus annumeranda sunt omnia illa, in quibus Deus Israelitis se exhibuit adjutorem, ejiciendo integras gentes, multisque & magnis pœnis afficiendo hostes Israelitarum. Liceat itaque sic colligere: Quicquid connotat justitiam divinam, illud etiam includit justitiæ divinæ effectus, seu justa Dei judicia. Atqui Nomen Dei, præter cætera, etiam justitiam Dei comprehendit. Ergo & significationem judiciorum divinorum simul involvit. Quod scilicet in nostro

B 3

oracu-

oraculo Deus & Ecclesia conjunctim de Nomine Dei affir-
mant, illud, Exod. XXXIV, 7, ab ipso Filio Dei asseritur, quod
Nomen Dei significet quoque visitationes iniquitatis pa-
trum divinas, secundum iram, in filios & in filios filiorum,
in nepotes & in abnepotes. Et quid prohibet, quo minus
Nomine etiam Dei dicamus connotari כָּל־הַקְּلֹלוֹת, omnes
maledictiones illas, quas, jussu divino, comminatus est illis
Moses, qui voci Johevæ non auscultantur, Deut. XXVIII, 15,
præsertim, cum judicia, immittenda impiis, totidem fere syl-
labis per Nomen Dei significantur apud Esaiam Cap. XXX, 27,
ubi occurunt hæc verba, quæ maximopere nos confir-
mant, בְּאֵם מִפְרַח קֶדֶשׁ יְהוָה שֵׁם, ecce nomen Dei venit de
longinquo. Ex omnibus, huc usque in medium allatis, mul-
tisque aliis, quæ huc referri poterant, hoc tandem relinqu-
tur, Nomen Dei hoc loco significare voluntatem Dei, & an-
tecedentem, & consequentem, & gratiæ, & justitiæ, & præ-
mia, & pœnas divinas, ita tamen, ut pro lege fundamentali,
(liceat mihi ita loqui,) in regno gratiæ in *Nomine Dei* sem-
per emineat gratiosus salutis in Christo respectus. Hinc
& Psaltes, ex Exod. XXXIV, semel atque iterum, & sæpius
ad misericordiam Dei ac gratiam ejus provocat, judicia iræ
ac pœnarum deprecatus, uti appareat ex Psalm. LXXXVI, 3,
sqq., 15, sqq., CIII, 8, sqq., CXXX, 3, CXLIII, 2. De reliquis vo-
cabuli Nominis divini significationibus, quæ huc aliquo
etiam modo reduci possunt, quando, v. c., alias etiam con-
notat, veram de Deo unitrino & Christo doctrinam, am-
plioremque ejus cognitionem, Mich. IV, 5, Matth. VI, 9, Joh.
XVII, 6; alias famam & celebrationem Nominis divini, i Reg.
VIII, 41, Psalm. LXXIX, 9, CII, 16; alias verum Dei cultum,
i Reg. VIII, 16, Deut. XII, 5, alias iterum aliud quid, conferri
potest vel solus FLACIUS in *Clav. Script. Sacr.* p. 738.

§. V.

§. V.

Constat aliquid de vocabulo שֵם יְהוָה: Reliquum est, ut etiam aliquid adjiciamus de vocabulo קָרֹב, non unam semper & eandem retinente in sacro Codice significationem. Nunc denotat propinquitatem ratione situs locorum, cuius respectu Lothus, urbibus relictis Sodomiticis, angelum sic alloquitur: חַפְּחָדָנָא הַעֲיר הַזֹּאת קָרְבָּהּ, ecce civitatem propinquitate commodam, Gen. XIX, 20, & Achabu, Nabothi cum expeteret vineam, nullam addebat causam, nisi hanc: כִּי הוּא קָרֹב אֶצְלִי בַּיִתִי 1 Reg. XXI, 2. Nunc significat propinquitatem temporis, cuius respectu interitus Moabitarum Jeremiæ dicitur propinquus, קָרֹב אִידְמוֹאָב לְבֹא instat, inquieti exitium Moabitarum, Cap. XLVIII, 16. Eodem hoc respectu Es. XIII, 6, dies, inquit, Domini appropinquat, קָרֹב יוֹם יְהוָה. Alias & propinquitas sanguinis & cognationis per hoc ipsum vocabulum denotatur, cum alias, tum vero maxime in his Scripturæ locis, Num. XXVII, 11, Neh. XIII, 4, Ruth. III, 12, quippe ex quibus apparent, vocabulum קָרֹב conjungi cum vocabulo שָׁאֵר ad explicandum illud, hoc est significandos illos, qui sunt maxime propinqui sanguine, aut cognatione. Est iterum & datur alia quædam appropinquatio, ratione amoris, aut habitationis, & arctioris conjunctionis, item, ratione scientiæ, sapientiæ, & prudentiæ, vel etiam ratione graduum & certitudinis in cognitione, de quibus agunt hæc Scripturæ loca, Prov. VII, 4, Rom. XIII, 11, sq, Eph. II, 13, quæ omnia, & hujus generis alia, non erit alienum hoc loco observare, quia appropinquationem Nominis divini, infra explicandam, quodammodo illustrabunt. Hoc certissimum est, quod vocabulum קָרֹב differat a vocabulo בָּגֵשׂ, ut angustius a latiori, sicut apud Latinos

tinos vocabulum appropinquare plus significat, quam accedere. Quando in sacris literis קָרְבָּן, vel etiam קָרְבָּן, Deo attribuitur, refertur illud, nunc ad ipsam Dei essentiam, nunc ad amorem, gratiam, favorem, ac misericordiam Dei, ejusdemque effectus, seu opem, atque auxilia, & omnis generis beneficia, divina, imo etiam ad iram & justitiam divinam, ejusdemque effectus. Priorem appropinquationis divinæ relationem ad essentiam divinam confirmat Jer. XXIII, 23, coll. cum Act. XVII, 27, ubi & negative, per ἀδιατασίαν essentiæ divinæ, & positivis verbis, per appropinquationem ipsius Dei, sicut est, exponitur præsentia divina. Vid. SE-SAST. SCHMIDII Coll. Bibl. pag. 95. Posterior appropinquationis divinæ relatio, ad gratiam & auxilia gratiæ divinæ, cum aliunde, tum maxime ex Psalm. XXXIV, 19, ubi Deus dicitur, קָרְבָּן לְנַשְׁבֵּרִי־לְבָב propinquus contritis corde, hoc est, propitius, favens, & præsens opitulator, quam explicationem verba proxime consequentia ipsa requirunt & suppeditant. Eadem explicatio erit Ps. CXLV, 18, 19, ubi denuo Deus dicitur קָרְבָּן propinquus omnibus invocantibus ipsum, omnibus, qui invocant ipsum fide, & additur statim hæc explicatio: Placidum enim se exhibet erga timentes eum, & vociferationem eorundem audiens, salutem dat illis, confer. GEIER. Allgegenw. Gottes, Meditat. XX, num. II, pag. 212, sqq. Appropinquationem Dei secundum iram, seu justitiam, ejusdemque effectus, exponit idem Psaltes, Psalm. CXIX, 150, & 151, cum hic Deus dicatur קָרְבָּן propinquus, arcendo & puniendo persecutores facinoris, qui a lege ejus procul absunt. Nec possumus inficiari, quod quædam sint Scripturæ Sacrae loca, in quibus Deus dicitur, קָרְבָּן, propinquus, habita simul æquali relatione, tam ad essentiam divinam, quam ad operationem amoris ac favoris prorsus singularis ac paterni di-

vini

vini. Sic enim, Es. L, 8, ipse Dominus & Servator noster de Deo profitetur, quod sibi sit **প্ৰিয়**, *propinquus*, quod ipsum de sola velle interpretari appropinquatione Dei secundum amorem & gratiam, non vero etiam simul de appropinquatione secundum essentiam divinam, Nestorianum ac Socinianum esset, atque his clarissimis scripturæ locis prorsus contrarium, Joh. XIV, 10, Col. II, 9, quorum in illo dicitur Pater esse in Filio, & Filius, scilicet Christus, in Patre καὶ ἐν παρεξήν; in hoc vero πᾶν τὸ πλήρωμα τῆς θεότητος dicitur κατοικεῖν ἐν αὐτῷ σωματικῶς. Atque hoc ipsum tam luculentum appropinquationis essentiæ quoque ipsius divinæ argumentum est, ut hanc in dubium vocare desierint multi, etiamsi modum ejus specificum ineffabilem atque incomprehensibilem esse animadverterint. Conf. GERH. *in Exeges. LL. de Deo & Attr. Div. §. 187, sqq*, quem ipsum & alios, quo jure in suam sententiam trahere potuerit BAIERIUS, *in Comp. Theol. P. I, C. I, §. XII*, omnem essentiæ divinæ appropinquationem negando, illud judicent alii. Nos hactenus appropinquationem Dei referentes, partim ad essentiam Dei ipsam, partim ad operaciones divinas, nunc secundum gratiam, nunc secundum iram, se se exerentes, hoc ipso non negamus, quod in hac appropinquatione, porro explicanda, possit etiam simul relatio institui quædam, tam ad propinquitatem temporis, quam ad propinquitatum reliquas species, supra jam commemoratas, quod ex infra dicendis abunde satis intelligetur. Enim vero, nec iudicia divina imminentia, nec beneficia divina promissa, respuunt propinquitatem, seu appropinquationem, temporis, nec reliqua, per Nomen Dei connotata, propinquitati, huic vel illi, simili repugnant.

§. VI.

Cum vero & mirabilium speciatim fiat mentio in
C nostro

nostro oraculo, non erit alienum de illis hæc duo inquirere, primum, quid hic speciatim significant? deinde, quamnam habeant relationem ad Nominis divini appropinquationem, cuius occasione hoc loco commemorantur? Quid speciatim hic per mirabilia Dei intelligatur, illud vel ex solo vocabulo נְפָלָאֹתִיּוֹת, quod a נְפָלָאָה occultum fuit, nomen habet: Inde enim נְפָלָאָה, participium alias fœminini generis, quod pro neutro ponitur, in plurali tamen potissimum numero, quomodo נְפָלָאָה dicuntur omnia ea, quæ sunt nobis mirabilia, seu occulta, cum illa sit intellectus nostri conditio humani, ut illa admiremur, quorum natura, causæ, aut circumstantiæ, nobis sunt occultæ. Quando itaque speciatim *mirabilia Dei* commemorantur, statim apparent, quod illa denotent h. l. omnia Dei opera admiranda, quæ humanæ rationis captum & finitæ naturæ vires, longissime excedentia, nos rapiunt in admirationem divinæ, tam sapientiæ & potentiaæ incomprehensibilis, quam immensæ benignitatis & infinitæ justitiæ, quorum respectu etiam solus Deus dicitur *facere mirabilia*, Psalm. LXXII, 18, ubi, *benedictus est Dominus, Deus Israel*, inquit Psaltes, *qui facit mirabilia solus*. Et, licet alias speciatim quoque & κατ' ἔξοχην, admirandæ Ægyptiorum plagæ, reliquaque miracula, quæ fecit Deus, cum populum Israeliticum educeret ex Ægypto, dicantur *mirabilia Dei in Ægypto*, Psalm. CVI, 7, Exod. III, 20, Mich. VII, 15, quæ etiam hoc loco, in primis connotantur, tamen nihil prohibet, quo minus & reliqua omnia Dei opera mirabilia, antea descripta, huc referamus, quoniam hoc loco de piis omnibus & fidelibus asseritur, quod סֵפֶר נְפָלָאֹת יְהוָה, quod enarrent, hoc est, celebrent, *mirabilia Dei*, ad eum modum, eoque sensu, quo Psaltes, in Psalm. IX, 2, scribit: אַסְפָּרָה כָּל—נְפָלָאֹת יְהוָה, narrabo, h. e., celebrabo, *omnia mirabilia Dei*. Hoc

consi-

considerandi modo per mirabilia Dei hoc loco, generatim loquendo, intelliguntur simul opera, & creationis, & conservationis, & gubernationis, & redemptionis, una cum omnibus actibus gratiae Spiritus Sancti applicatrixis, tam vocantis, quam regenerantis, convertentis, illuminantis, justificantis, sanctificantis, inhabitantis & salvantis. Speciatim loquendo, pertinent huc, & in primis hoc loco intelliguntur, illæ divinæ operationes admirandæ, nunc gratiæ, nunc iræ & justitiæ, quæ specialiorem involvunt respectum ad populum Israeliticum & ad hostes ejusdem, quo considerandi modo, non solum, Jof. III, 5, transitus Israelitarum per Jordanem, & ea, quæ cum hoc conjungebantur, & beneficia Israelitis impertita, & poenæ ab hostibus eorundem sumptæ, dicuntur נְפָלֹת, sed & Exod. XXXIV, 10, commemorantur, conjunctim spectata בְּרִ—נְפָלֹת, *omnia mirabilia Dei, quæ non sunt patrata in toto terrarum orbe, nec in ulla gente alia.* His observatis, facilimum erit porro respondere quærenti, quamnam relationem habeant hæc mirabilia, hactenus explicata, ad appropinquationem Nominis divini? Apparet enim per se, vel me illud non monente, quod appropinquatio Nominis divini quam maxime se exeruerit in his נְפָלֹת, mirabilibus, cum in communi consideratis omnibus, tum vero illis, quæ vidimus, speciatim referri ad populum posse Israeliticum. Apparet porro, fideles omnes V. T. ideo enarrasse tam sæpe ac celebrazze hæc mirabilia, quoniam ex his ipsi præcipuum aliquod argumentum derivarunt, pro appropinquatione Nominis divini ipsa asserenda, sibique ad animum revocanda, quorsum maxime respexit LUTHERUS in versione supra allegata.

§. VII.

Non desunt, quæ hic solent ab aliis nostri oraculi in-

C 2

terpre-

terpretibus obverti in contrariam partem, de quibus vel ipsæ maximopere inter se discrepantes versiones solæ testari satis possunt, quarum nonnullæ, supra citatæ, sic adornatae sunt, ut appropinquationis Nominis divini vix mentio quædam injiciatur, quæ tamen præcipuam totius oraculi partem constituit. Tum vero & GEIERUS, in *Comm. in hunc locum*, existimat, *copulam Vau causaliter hic explicari non posse*, ut sensus hic sit, *celebrandum esse Deum, quia appropinquationem Nominis sui, seu præsentiam, abunde comprobaverit auxilio mirabili ac tempestivo*, vel ut habet versio Lutheri: *Wir danken dir, wir danken dir, und verkündigen deine Wunder, daß dein Nahme so nahe ist.* Præfert potius sententiam R. SALOMONIS, qui propinquitatem Nominis divini per epexegeſin interpretatur, *de frequente Nominis Dei devote laudati repetitione*, quo posito, sensus oraculi nostri hic esset, quem & Vulgata & Septuaginta-Viralis Versio, supra citata fistit, quo fideles se ipſos concitent ad laudem Nominis divini, *confitebimur, inquietes, confitebimur tibi, Deus, Et invocabimus nomen tuum, sit illud propinquum*, scilicet labiis nostris: *Narrabimus mirabilia tua.* At enim vero, cum i. hæc interpretatio (quam & SEB. SCHMIDUS, versione sua videtur comprobasse, supra citata) solo illo nitatur fundamento, quod copulæ *Vau* significatio propria, quæ alias est copulativa, hic præter necessitatem deferratur, cum præterea 2. epexegeſis quædam sic admittatur, quod & mihi videtur præter necessitatem fieri non debere, cum & 3. illud, quod præcipuum erat in ipso textu, nempe appropinquatio Nominis divini, prætermittatur, merito manemus in ea, quam supra suppeditavimus, explicatione, secundum quam & ipſe ſcopus totius Psalmi LXXV multo clariori modo nobis innoteſcit. Confirmant nos mirifice, præter LUTHERUM

THERUM, plerique fere interpretes reliqui, BRENTIUS, GESNERUS, BAKIUS, BUCERUS, JUNIUS, PISCATOR, SIMON de MUIS, &c., quorum verba quædam, deinceps alleganda, nostram sententiam, ubi opus fuerit, simul illustrabunt. Nunc sufficit illud præmonuisse, quod litera γ, quando præfigitur in sacro Codice dictionibus, creberrime significet idem, ac *quia*. Ita, v. c., Gen. XXII, 12, *nunc scio*, inquit Deus ipse ad Abraham, *quod timeas Dominum, & non pepercisti unigenito filio tuo*, hoc est, quia non pepercisti unigenito filio tuo. Exod. XVII, 1, 2, dicuntur *non adfuisse aquæ, & jurgatus est populus*, hoc est, quia jurgatus est populus, plura alia V. T. loca ut omittamus. Atque hoc usque adeo est verum, ut & N. T. quædam loca adduci possint, in quibus eodem sensu ponitur particula ναι, quo litera γ antea sumi dicebatur, v. c., Luc. I, 42, ubi *benedicta dicitur Maria, & benedictus fructus ventris ejus*, h. e., quia benedictus est fructus ventris ejus, & Col. II, 5, *Spiritu*, inquit Paulus, *sum vobiscum gaudens, & videns vestrum ordinem*, hoc est, quia, quasi coram, intueor vestrum ordinem. His ita positis, litera γ hoc loco præfixa, non dicitur, a nativa sua significatione, præter necessitatem, in aliam immutari, sed saltem, propter scopum textus & totius Psalmi, accipi pro *quia*, hoc est, eo sensu, qui alias in sacro Codice est receptissimus.

SECT. II. DOGMATICA.

§. I.

CUM constet de singulis fere oraculi nostri verbis, nunc erit facilimum paulo plenius exponere, in quonam consistat *Appropinquatio Nominis divini*: Oportet enim, ut duo ejusdem membra constituamus. α) Appropinquatio-

C 3

nem

nem ipsius Dei unitrini, quam nonnulli, approximationem essentiæ divinæ nominant, *quia Deus & Nomen ejus idem est, & Nomen Dei pro ipso Deo ponitur*, sic recte scribit SIMON. de MUIS, *cit. loc.*, ideo, quando Dei Nomen dicitur appropinquare, hoc ipso Deus dicitur appropinquare. Et, cum gratia Dei, benignitas, misericordia, justitia, omnipotencia, cæteraque Dei attributa, quæ iterum Dei Nomine connotantur, sint, a parte rei, ipsa essentia Dei, mirum non est, quod, hujus respectu, appropinquationem Nominis divini explicuerint nonnulli per appropinquationem essentiæ divinæ. Nos de eadem non immerito hæc duo observamus, primum, quod, propter ignorationem modi specifici nostram, in hac approximatione ipsius Dei, non debeamus rem ipsam negare: Deinde, quod modum ejus, qui est & manet inexplicabilis, non debeamus, vel more Fanaticorum exponere per *ἀποθέωσιν* & participationem naturæ divinæ Fanaticorum, ut velis dicere cum ARNOLDO, *in Myst. Soph.*, p. 29, *ich muß in Gott vergöttert seyn zum wesentlichen geeinten Ein;* vel extendere ad Naturalistarum & Deistarum *Deum materiatum*, vel, ut alias barbare in re barbara loquuntur, *creatratum*, *perque emanationes essentiæ suæ varias effusum in res creatas*, per quas homo possit fieri *Deiformis, transformari in Deum, vel immergi in eum, & abyssaliter idem cum eo fieri*, ut loquitur BOEHMIUS, *in Aurora, Cap. XXII, §. 46.* Hoc enim hujusmodi est approximationis essentiæ divinæ explicatio, per quam omnino ipse Deus ejusdemque existentia atheistico modo revera negatur. *Deus spiritus est*, Joh. IV, 24, 2 Corinth. III, 17, qui, uti potest, divino more, sine omni, & cominixtione, & confusione, & extensione, tanquam ens infinite perfectum, & expers omnis materiæ, omnia implere, Ephes. IV, 10, Jac. I, 17, ita etiam appropin-

propinquare potest hominibus, sine omni, & sui ipsius mutatione, & essentiæ suæ, vel cum rebus creatis unitisque coniunctione, vel divisione, velemanatione essentiali. β) Manifestationem hujus suæ appropinquationis, per varias operationes effectusque, nunc omnisapientiæ, & omnipotentiæ, nunc gratiæ, amoris, misericordiæ, patientiæ similiumque attributorum divinorum, in primis illius gratiæ, quæ in Christo nobis data est, nunc justitiæ & iræ, nunc gloriæ & majestatis suæ infinitæ divinæ. Hoc posterius BAKIUS & GESNERUS, citatis supra locis, sic recte explicuerunt: *Nomen Dei*, inquit ille, *est, quicquid de Deo prædicatur, quod videlicet sit bonis misericors & clemens, malis vero justus & vehe mens, quando benefacta remunerat, & malefacta punit;* Hic vero, *Nomen Dei*, scribit, *est illa gloria Dei, quæ in stupendis ejusdem operibus elucebit.* Ergo & *Nomen Dei* tum dicitur *propinquum esse, quando Deus, admiranda sua liberatione fidelium, præsentiam suam manifestat, atque ita gloriam suam illustrem reddit.* Prior illa pars appropinquationis ipsius Dei unitrini, quam alii approximationem essentiæ divinæ nominant, ad explicandum pariter atque intelligendum diffici lima est. Posterior autem pars, quæ manifestationem hujus appropinquationis divinæ per varias operationes & effectus omnisapientiæ, omnipotentiæ, gratiæ, gloriæ, justitiæ & majestatis, divinæ, continet, hoc est, omnis generis & beneficia, nunc corporalia, nunc spiritualia, eademque singularia, & pœnas singulares, illa ab omnibus facilius, & apprehendi tur, & intelligitur. Hæc causa est, cur multi, explicantes appropinquationem Nominis divini, hanc posteriorem solam, prætermissa priore, proponant, vide vel solum WIGANDVM, in *Consider. Methodica, de ubiquit. & omnipræf. Dei,* quod fieri tamen, meo quidem judicio, non debebat. In nostro

nostro quidem oraculo קְרוֹב יְהוָה שֵׁם, *Nomen Dei propinquum* fieri dicitur, in primis *per mirabilia Dei*, ac postea in vers. 3, *per judicia divina*, ad quam explicationem ipse quoque Servator noster respexit Joh. V, 17, & Apostolus, tam Act. XIV, 17, quam Cap. XVII, 26, 27, 28, at enim vero, hoc non fieri in sensu exclusivo, sed tantummodo εξοχμῶ & connotativo, illud, ex Sect. I, satis, ut opinor, perspicuum est. Atque hoc ipsum tam manifestum est, ut & illi, qui alias dubitant de priore, a nobis supra constituta, parte appropinquationis Nominis divini, hoc tamen haud difficulter concedant, quod manifestationes singulares divinæ præsentia, per beneficia singularia, aut per pœnas singulares, in primis illa, quæ sese exerit, in gratiofa totius S. S. Trinitatis inhabitatione, per fidem, præsupponat ipsius quoque Dei appropinquationem aliam, quam, quæ vulgo per vocabulum omnipræsentia divinæ exprimatur, propterea, quod locus ille, qui occurrit Joh. XIV, 23, item Eph. III, 17, & similia alia, illud postulent.

§. II.

Considerari potest hæc appropinquatio Nominis divini, secundum utramque partem, hactenus explicatam, nunc *principiative*, quatenus a Deo proficiscitur, quando Deus dicitur ad homines, dicto utroque modo, appropinquare; nunc *subjective & terminative*, quatenus in hominem redundat, & ab eo non solum recipitur, sed & animadvertisit ac simul celebratur. Hinc non male distinguitur *in activam & passivam*, quam distinguendi rationem ipse quoque textus noster confirmat, quando primum Deus, seu Nomen Dei, dicitur, se appropinquare hominibus fidelibus in ecclesia, deinde vero & hi dicuntur Deo appropinquari, ex mirabilibus Dei, & judiciis divinis, appropinquationem Nominis divini animadvertisentes, agnoscentes & collaudantes. Confirmatur

tur idem illud, cum aliunde, tum vero in primis ex Jer. XXIX, 13, & Jac. IV, 8, quorum in illo loco dicuntur, *Deum invenire debere omnes querentes eum ex toto corde*, in hoc vero loco Jacobus, *appropinquate, inquit, Deo, & appropinquabit vobis,* ἐγγίσατε τῷ Θεῷ, καὶ ἐγγίεται ὑμῖν.

§. III.

Appropinquatio activa Nominis Dei, quia iterum dupli potissimum modo fit, *in appropinquationem, salutaris gratiæ, & specialis providentiae divinæ*, non immerito subdistinguitur: Sic enim & Psaltes, Psalm. XLIX, 11, *uti Nomen Dei, inquit, ita etiam gloria tua*, ubi sine dubio per *Nomen Dei, salutarem gratiam, per gloriam autem Dei, specialem Dei providentiam, intelligit, quod vel soli versiculi, 10, qui antecedit, & 12, reliquique, qui consequuntur, clare satis demonstrant.* In illo *Nomen Dei explicatur per benignitatem Dei, quam pii & fideles in medio templo Dei expectant*, ex quo relinquitur *appropinquatio salutaris gratiæ divinæ*: In hoc, & consequentibus versiculis, *gloria Dei dicitur elucere ex justis Dei judiciis, & potentissima Sionis conservatione, quæ ostendunt appropinquationem specialis providentiae divinæ.*

§. IV.

Appropinquatio Nominis divini, secundum salutarem ejus gratiam, paulo plenius sic describi potest, quod sit illa, qua Deus totius generis humani, postquam illud per peccatum a Deo erat avulsum, ita misertus est, ut dederit illi non solum Filium suum unigenitum Redemptorem, Joh. III, 16, ut omnes cum eo conciliarentur, & per eum salvarentur, Gal. IV, 4, 1 Tim. II, 4, 5, 6, 1 Joh. II, 1, sq., sed etiam, cum illos ob profundissimam peccati corruptionem, ad hunc Servatorem cognoscendum, & meritum ejus apprehendendum, præviderit ineptos futuros, ut dederit illis in hoc Servatore media quo-

D

que

que sufficientissima & efficacissima gratiæ, eaque, non solum per gratiam vocantem, offerenda omnibus, sed & applicanda, secundum certum ordinem, ordinem, inquam, gratiæ regenerantis, illuminantis, convertentis, justificantis, sanctificantis, inhabitantis, ac denique salvantis, de quibus præ cæteris conferri merentur JOH. HULSEMANNUS *Tr. de Auxiliis Grat. Divin.* & JOH. FECHT. *Diss. de Ordine Modoque Gratiae Divin.* Hæc appropinquatio Nominis divini statim post lapsum incepit, cum prima Evangelii revelatione, Gen. III, 15, circa quam & ejus descriptionem illud maxime notatum dignum est, quod dicatur *Deus, per hortum Paradisi, quasi itando & clamitando, fugientes parentes primos, seque abscondentes, quæsivisse*, itaque illis appropinquatus per prædicacionem, & Legis, & Evangelii, Gen. III, 8, 9. Continuavit idem Deus hanc appropinquationem Nominis sui tempore Patriarcharum, tempore Mosis & Prophetarum V. T., per tot Evangelii illius primi repetitiones, tot apparitiones & visiones, ut vix enumerari omnes possint, confer. interim CA-LOV. *Diss. de Apparit. V. T.* Illustres admodum confirmationes ejusdem hujus appropinquationis Nominis divini, secundum salutarem gratiam, occurrunt, Exod. XXXIV, 6, Ezech. XVIII, 21, sq., XXXIII, 11, &c. Illustrissimus ejusdem appropinquationis gradus accesit tempore N. T., ut infra demonstrabitur. Nunc sufficit hic præmittere ejusdem appropinquationis præcipuas quasdam, ex N. T. quoque depromptas, assertiones, quales occurrunt Joh. III, 16, 2 Tim. III, 4, 2 Pet. III, 9, Act. IV, 12, & in primis quoque Rom. V, 8, sqq., & Eph. II, 13, sq., quorum in illo dicitur *Deus suam erga nos charitatem quam maxime commendasse, eo, quod, cum adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus sit, nunc autem, ejus sanguine justificati, servemur multo magis ab ejus ira, & quæ*

quæ reliqua sunt, quæ consequuntur. In hoc autem dicimus, ἐγγὺς, propinqui facti per sanguinem Jesu Christi. Cum vero per peccata corrupti homines ita sint, ut, plerique, Deo ad hunc modum ad eos appropinquante, ipsi vicisim ad eum appropinquare nolint, sed per peccata, atque impoenitentiam longissimo intervallo a Deo se removeant, & gratiam omnem & gratiæ media, in Christo sibi data & oblata, rejicientes, oritur inde appropinquatio quoque Dei secundum iram & justitiam, ejusdemque effecta, quæ judicia divina dici solent. Licet enim hæc Dei, secundum iram & pœnas justissimas considerati, appropinquatio ac manifestatio, ad appropinquationem salutaris gratiæ divinæ per se pertinere non videatur, in sacro tamen Codice cum eadem, per modum oppositi, non raro conjungitur, in primis, Exod. XXXIV, 6, sq., & Esa. XLVII, 13. Ibi Filius ipse Dei, Nomen Dei interpretatus, ejus appropinquationem exponit, non per solius misericordiæ, benignitatis & gratiæ divinæ manifestationem, sed & simul per visitationes iniquitatum justissimas: Hic vero Deus dicitur, & salutarem gratiam, & justitiam suam, simul appropinquasse, illam respectu Sionis ipsius, hanc respectu hostium Sionis.

§. V.

Est hæc appropinquatio activa salutaris gratiæ divinæ, in se & per se spectata, una, sicuti unus est ejusdem auctor, fons & origo, Dominus nempe & Servator noster Jesus Christus, quia *non est in alio quodam salus, nec datum hominibus aliud Nomen, per quod salvari possint, nisi per Nomen Jesu*, Act. IV, 12. Interim, si consideretur ex accidenti, quoad temporum periodos, & duplicem maxime modum divinæ œconomiae, circa hanc appropinquationem salutaris gratiæ, potest illa distingui in eam, quæ est Veteris, & illam, quæ est Novi

D 2

Testa-

Testamenti. Illa continet appropinquationis hujus, non promissiones tantum, sed, & initium, & continuationem perpetuam, non in typis tantum nudis, sed suo etiam modo in re ipsa, inchoatam: Hæc addidit ipsius rei complementum ultimum, in luce ipsa multo clariore. Hinc non solum Moses populum Israeliticum felicem prædicat præ omnibus gentibus, propter hanc, ad illum jam tum in V. T. factam, appropinquationem salutaris gratiæ, in Christo hominibus dataæ, prorsus singularem, Deut. IV, 7, sed & reliqui Prophetæ propemodum omnes semel atque iterum & sæpius mentionem fecerunt hujus quoque appropinquationis, idque non raro in præterito etiam tempore, v. c., ut ex multis pauca excitemus, Psalm. XXXIV, 19, LXXXV, 10, CXIX, 151, CXLV, 18, Es. XIII, 6, L, 8, LI, 5, LV, 6, LVI, 1, &c. In N. autem T. dicitur, Apostolo interprete, ἐγγύτερον εἶναι ή σωτηρία, ή ὅτε ἐπισεύσαμεν, *propinquior facta salus*, seu magis appropinquata, *quam credidimus*, Rom. XIII, 11, quod ipsum & Servator noster sæpe proposuit, v. c., Luc. X, 11, & XXI, 28, 31, quoniam nempe tempore N. T., plenissimo quasi jubare, ἐπεφάνη, eluxit ή χάρις τῷ Θεῷ ή σωτήριος πᾶσιν αὐθεόποιος, h. e. promissus ille in V. T. gratiæ divinæ propinquioris gradus, Tit. II, 11: Non concernit enim hæc differentia substantiam ipsius rei, sed solas ejusdem circumstantias, atque unius & ejusdem divinæ, tam gratiæ, quam appropinquationis gratiæ, diversos gradus exhibet.

§. VI.

Media, per quæ appropinquatio activa salutaris gratiæ divinæ sese exerit, sunt verbum Dei & sacramenta. Ex his appropinquationem, per verbum Dei, quæ & olim facta est, & hodie fit, speciatim si considerare velis, oportet, ut & hanc unam dicas & eandem, in se nempe consideratam, eandemque Veteri etiam Testamento communem, sicuti
est

est unum saltem Dei verbum revelatum V. & N. Testamenti. Quemadmodum vero verbum illud unum compositum est ex partibus duabus, & Lege, & Evangelio, sic etiam appropinquatio activa salutaris gratiæ divinæ fit per Legem & Evangelium simul, ita tamen, ut illa indirecte & παρασκευα-
σιῶς, hoc directe, ad appropinquationem illam cooperetur. Quod ad Evangelium attinet, mediante quo Deus omnem in Christo nobis datam gratiam partamque salutem, & offert, & confert, illud in V. T. jam obtinuisse, tam ex prima Evangelii, jam in Paradiso facta, Gen. III, 15, quam ex saepe deinceps repetita, prædicatione, constat: Non est enim aliud Evangelium, nisi unum illud de Christo, neque aliud aliquod, nisi a Pseudo-Prophetis & Pseudo-Apostolis, prædicari potest, Gal. I, 6, 8. Quoties itaque in V. T. dicitur, v. c., Nomen Dei prædicatum, atque hæc prædicatio denuo instaurata, quod factum esse temporibus Sethi, Abrahami, Isaaci, Mosis Samuelis & aliorum, legimus, Gen. IV, 26, XII, 8, XIII, 4, XXI, 33, XXVI, 25, Exod. XXXIII, 19, 1 Sam. IV, 1, &c. quoties Deus repetiit promissiones, Abrahamo datas, & semini ejusdem, Gen. XII, 3, XVIII, 18, XXII, 18, XXVI, 4, quoties novas dedit, easdemque semper illustriores, & ad plures circumstantias extensas, promissiones, tam de Christo, ejusdemque, & conceptione, & nativitate, & passione, & morte, totoque officio ejus mediatorio, per tot Prophetas V. T., maxime per Davidem & Esaiam, quam de toto statu Ecclesiæ N. T., toties dicendum, quod Deus se se aliо iterum atque alio modo appropinquaverit, secundum salutarem gratiam fidelibus V. T. Hinc non solum omnes Prophetæ V. T. dicuntur testimonium perhibuisse de Christo, Act. X, 43, sed & omnes fideles V. T. dicuntur similiter salvati, διὰ τῆς χάριτος τῆς Κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ, πιστεύοντες εἰς αὐτὸν, sicut & nos, Act. XV, 11, Hebr. XI, 4, sqq.

§. VII.

Appropinquatio activa salutaris gratiæ divinæ per verbum Legis *directa* nulla fieri potest, quia Lex per peccatum est infirmata, ut salvare post lapsum neminem possit, Rom. VIII, 3, 2 Corinth. III, 6, sq., nihilque operari, nisi iram, Rom. IV, 15. Interim Deus primo dicitur verbum Legis, singulari cum manifestatione, & gloriæ ac majestatis, & gratiæ, suæ, revelasse jam tum in V. T., quod copiose describitur, Exod. XIX, 11, sqq., 18, sqq., ex quo si quis velit appropinquationem activam salutaris gratiæ divinæ, scilicet *indirectam*, derivare, ego non refragabor. Deinde vero & verbum Legis ad gratiam convertentem aliquid cooperatur, contritionem in cordibus hominum producendo, Rom. III, 20, VII, 7, cum sit instar mallei, petram conterentis, Jerem. XXIII, 29. Quod ipsum, si quis iterum velit appropinquationem activam salutaris gratiæ divinæ παρασκευασμήν nominare, ego non repugnabo, cum ex lege naturæ, & solis viribus naturalibus, illa derivari non possint, quæ ad veræ poenitentiæ partem priorem, h.e. contritionem, requiruntur, quippe, quæ omnino ab inchoata gratia divina ac supernaturali convertente dependent, atque efficaciæ divinæ Legis revelatæ adscribi debent, ut nihil dicam de eo, quod in gratia quoque sanctificante verbum Legis constituat normam omnium agendorum & omittendorum, Jac. I, 18, 21, sq. Sed & hæc non demum in N. T. cœpisse, sed in V. etiam T. jam obtinuisse, nemo facile inficiabitur.

§. VIII.

Cum ex Sect. I jam constet, quam maxime etiam sese exerat appropinquatio activa gratiæ salutaris divinæ per נפלאות יהוָה, omnis generis mirabilia Dei, ibidem jam explicata, appareat inde denuo, hanc quoque appropinquationem

tionem Nominis divini utriusque Testamento fuisse communem. Etsi enim illustrior quidam gradus accesserit miraculorum tempore Novi Testamenti, cumque illo nova quædam majoris appropinquationis, secundum gratiam divinam, accessio, cuius respectu Servator ipse, Matth. XI, 21, concedit talia miracula facta non esse apud Tyrios & Sidonios, qualia facta sunt in illis civitatibus, in quibus ipse versatus est; non potest tamen negari, Deum s^epe etiam in V. T. singulari admodum modo, per similia נְפָלָאֹת, se ipsum appropinquasse, nunc Noacho, Abrahamo, & omnibus fere Patriarchis, nunc Sar^a, uxori ejusdem Abrahami, nunc Mosi, & toti populo Israelitico (maxime cum omnipotente eum manu educeret ex Ægypto per desertaloca bene multa) nunc Eli^a, & omnibus fere reliquis Prophetis, nunc tot aliis sanctis ac fidelibus V. Testamenti, idque iterum per singularia, nunc beneficia, nunc judicia divina, ut illud plene hic enarrare nimis longum foret.

§. IX.

Cum institueret Deus circumcisionem, sacramentum V. Testamenti primum, Gen. XVII, 7, sqq., novum addidit gradum su^z, secundum gratiam salutarem consideratæ, appropinquationis V. Testamenti. Significabat enim, offerebat, conferebat, imo & obsignabat, pro ratione diversi subjecti, circumcisionem gratiam omnem Dei fœderalem. Hinc Mosi dicitur *signum fœderis*, imo & ipsum *fœdus gratiæ divine*, Gen. XVII, 10, 11, sqq., Stephano ἡ διαθήκη, Act. VII, 8, Apostolo autem *sigillum justitiæ fidei*, Rom. IV, 11, quia, interprete CHRYSTOMO & THEOPHYLACTO, *fuit data Abraham in signum τὸ testimonium illius justitiæ, quam jam obtinuerat per fidem*, de quo elegantiores occurrunt AMBROSI in Cap. II Luc., AUGUSTINI, Lib. XVI, de Civ. Dei, Cap.

XVII,

XVII, Lib. VI, contra Faust. c. 3, BERNHARDI Serm. 3, de Circumcis., & aliorum, sententiæ, cum quibus & illa conferri possunt, quæ BALDUINUS disputat, contra Socin., Calvin. & alios, Com. in Rom. IV, II, quest. X, sq., in quibus illud maxime urgetur, quod circumcision non dicatur data tantummodo, Abrahamo, ut σημεῖον τῆς περιτομῆς, signum circumcisionis, sed & σφραγίς τῆς δικαιοσύνης τῆς πίστεως, sigillum iustitiae fidei. Si dicendum, quod res est, Deus omnino per hanc circumcisionem non solum Abrahamo, reliquisque adultis ac circumcisis, confirmavit justitiam fidei, sed & illis, qui in prima ætate circumcidebantur, eandem hanc fidei justitiam, ὑπὸ στολῶν, & spem salutis æternæ contulit. Hoc enim clarissime confirmant addita verba promissionis ipsius Dei: *Ego Deus tuus, et Deus seminis tui*, quippe quæ omnino spondent singularem gratiæ appropinquationem ad circumcisos. Confirmant idem illud porro emphaticæ, & circumcisorum, & non circumcisorum descriptiones, quæ passim occurruunt in sacro Codice, in quibus illi dicuntur recepti in fœdus gratiæ divinæ per fidem, & uniti cum Deo, & spem habentes vitæ æternæ, & magnam παρέγγελσιον fidei, exemplo Jonathanis, 1 Sam. XIV, 6, Davidis, 1 Sam. XVII, 26, 36, atque aliorum. Non circumcisi vero describuntur, ut alienati a Deo, & gratia divina, seu vita, quæ est ex Deo, spernentes autem circumcisionem dicuntur exscindendi ex Populo Dei, Gen. XVII, 14, Jer. IX, 25, &c.

§. X.

Accedente iterum, atque instituto postea, sacramento quoque Agni Paschalis, Exod. XII, novus iterum accessit gratiæ divinæ appropinquantis radius tempore V. T. Deus enim & hoc instituit sacramentum, non ideo tantum, ut admonearet Israelitas de beneficio illo, quo Deus eos affecerat in Ægypto, sed maxime, ut esset medium efficax appropinquantis gratiæ

gratiæ divinæ, ad ob-signandam & confirmandam fidem in Christum, & fidei justitiam, ad excitandam fidei quoque πληροφοριαν aliquam in fidelibus Veteris Testamenti, de quibus, vel maxime propterea legimus, Sap. XVIII, 6, 9, quod, licet in typis & umbra saltem fuerint versati, comedentes tamen de Agno Paschali, securi fuerint in promissionibus Dei, & bono animo, & salutem justorum præstolantes, parati ad mala æque ac bona, patienti animo, subeunda ac perferenda. Quod scilicet Novi Testamenti sacramenta in ipso corpore exhibent, idem illud sacramenta V. T. in typis non significarunt solum, sed & pro ratione illius Testamenti, velut in umbra, simul exhibuerunt, Col. II, 17. Hujus respectu Paulus, nos, inquit, habemus etiam, sicut fideles V T., agnum Paschalem, qui est Christus, de quo Petrus testatur, quod pro nobis, tanquam agnus ἀμαρτιῶν καὶ ἀσπίλων, mactatus sit in cruce, I Cor. V, 7, & I Pet. I, 19.

§. XI.

Quanto vero illustrior gradus claritatis in toto lumine spirituali, tempore N. T., obtinuit, præ temporibus V. T., Rom. XIII, 12, tanto quoque major est ille gradus appropinquationis gratiæ divinæ salutaris dicendus, qui sese exerit per sacramenta N. T., præ illa, quam vidimus factam in sacramentis V. T. Baptismus propterea περιπύλασιον, seu περιθυρον, τῆς χορηγίας, recte dicitur Patribus Græcis, hoc est, ut loquitur AUGUSTINUS de Catech., cap. I, porta prima gratiæ divinæ, & primus introitus sanctorum ad æternam, & ipsius Dei, & Ecclesiæ, consuetudinem, vel, ut loquitur NEANDER, in Theol. Christian., cap. de Bapt., prima ad regnum cœlorum janua, brachia que Christi, & oscula ejus, quibus e gremio parentum transferimur in participationem omnium bonorum cœlestium, numerumque electorum Dei, quibus & cœlesti civitati inscribimur, & membra corporis Christi reddimur, quæ cum ipso, tanquam

E

capite

capite mystico, unum sunt. Confirmat eundem hunc gradum appropinquationis gratiæ divinæ per baptismum Scriptura Sacra, quando testatur, nos per baptismum *coadoptari in filios Dei & induere Christum*, Gal. III, 26, sq., quod ipsum, quomodo fiat, egregie explicuit LUTHERUS, T. IV Jen., fol. 115, quando iterum per baptismum dicimur, *cum Christo in mortem sepeliri*, Rom. VI, 3, sq., quando per baptismum, *tanquam lavacrum regenerationis & renovationis, Spiritus S. opulenter dicitur super nos effusus*, Tit. III, 5, & quæ sunt longe plures aliæ singularis divinæ gratiæ, per baptismum appropinquantis, descriptiones.

§. XII.

Per cœnam Domini specialiori iterum modo Deum nobis, secundum gratiam, & nos Deo, secundum hujus gratiæ participationem, appropinquari, hoc tanto facilius est ad demonstrandum, quanto rectius constat, quod non solum *panis benedictus, quem frangimus, sit communio corporis Christi, & calix, cui benedicimus, sit communio sanguinis Christi*, 1 Cor. X, 16, sed & nos, in, cum & sub, hoc pane, verum corpus Christi, in mortem pro nobis traditum, & verum sanguinem Christi, pro peccatis nostris effusum, in, cum & sub, vino illo benedicto, ore etiam corporis nostri, accipiamus, secundum verba Christi instituentis hanc cœnam, Matth. XXVI, 26, sqq., & Apostolum, hæc verba repetentem, explicantem ac confirmantem, 1 Cor. X & XI, capp. Fit enim ex eo, ut per hoc ipsum arctissime cum Deo unitrino & Christo uniamur, ut percipiamus *thesaurum omnium beneficiorum Christi, quia accipimus illud* (sunt hæc verba CHEMNTII, in Exam. Conc. Trid., Cap., de Inst. Sac. Cœn., p. 124) *in quo peccata omnia nobis remittuntur, in quo mors aboletur, & vita nobis communicatur, quo nos denique Christus sibi, tanquam membra, adjungit.* Ideo scilicet Christus instituit sacramentum

tum eucharistiæ, ut non solum fidem in nobis, omnesque nobis datas promissiones evangelicas, confirmaret & obsignaret, sed, cum nos ascendere ad eum in cœlum non possimus, Rom. X, 6, ipse quoque ad nos descenderet, & corpus suum in cœna hac sacra manducandum, & sanguinem suum bibendum, exhiberet, ut nos, sibi spiritualiter, velut palmites, insertos, ad vitam æternam nutriret, secundum promissionem illam, quam ipse nobis dedit, Joh. VI, 54, 56: *Qui manducat carnem meam, & babit sanguinem meum, is manet in me & ego in ipso, & habebit vitam æternam.*

§. XIII.

Cum fundamentum, fons & origo, omnis ad genus humanum appropinquationis gratiosæ divinæ sit solus Christus, Act. IV, 12, hic vero, tam in V., quam in N., T., sit revelatus ac manifestatus in illo, ut ἀστερος, cum respectu ad futuram incarnationem, per varias typicas adumbrationes, in hoc, ut ἐνστερος in ipso corpore, non erit alienum, hic speciatim commemorare appropinquationem salutaris gratiæ, per Christum in typis factam. Non est autem mihi constitutum, omnes huc revocare typos V.T., quod factum esse jam dudum ab aliis, non ignoro, v. c., a FRID. BALDUINO, in *Passione Christi Typica*, FRID. RAPPOLTO, in *Jesu Typico*, LUC. BACKMEISTERO, in *Explicat. Typor. Vet. Test.*, DAN. FESSELIO, in *Christo Mysticō*, MICH. BAUMANNO, in *Analect. Typic. Sacris*, & reliquis, etiam non nostratis. Mihi sufficit, hoc loco illud saltem observare, quod in typicis illis præfigurationibus V. T. non fuerit tantummodo quædam σκια τῶν μελλόντων, Col. II, 17, Hebr. II, 15, vel etiam σκια τῶν ἐπιγενείων αὐγαθῶν, Hebr. X, 1, σημεῖον καὶ ὑπόδειγμα τῶν μελλόντων, Matth. XII, 39, Heb. VIII, 5, sed & evidens quædam demonstratio appropinquationis divinæ, nunc secundum gratiam, nunc secundum iram, divinam. Scilicet, quemadmodum sponsus solet quandoque, per sui,

quam sponsæ offert, imaginem, amorem suum tenerrimum non significare tantum, sed & desponsationem cum sponsa intendere atque inchoare; ita & Servator noster, sponsus ille hominum spiritualis, cum intenderet, atque adeo jam tum inchoasset in V. T., spiritualem illam desponsationem, quæ Hos. II, 19, sq., describitur, quasi per imaginem se obtulit sponsæ suæ V. T., nunc per arcum foederis, Exod. XXV, 10, Heb. IX, 4, sqq., quam Paulus, ut *ἱλαστήριον* interpretatur, Rom. III, 25, Hebr. IV, 16, nunc per serpentem æneum Mosaicum, Num. XXI, 3, sq., quem Servator noster ipse de se exponit, Joh. III, 14, nunc per sacerdotem summum V.T., de quo Paulus agit, Heb. III, IV, VI, VII, VIII & IX, Capp., nunc per innumeratas typicas præfigurationes alias, ad appropinquationem salutaris gratiæ, in Christo nobis dataæ, referendas. Nec defuerunt typicæ adumbrationes iræ divinæ, judiciorum ac pœnarum divinarum appropinquantium, quando v. c., Esaias jubebatur togam exuere, qua indutus erat, abjectisque calceamentis, ad captivorum se habitum componere, Es. XX, 1, sqq., quando Jeremiæ injungebatur, ut cingulum, quod præparaverat, suisque lumbis imposuerat, ad Euphratem absconderet in projectura petræ, quod multis post diebus corruptum, & ad nullam rem aptum deprehendebatur: Hæc enim, & hujus generis longe plura alia, manifesta erant judiciorum, tum temporis imminentium, justissimorum argumenta.

§. XIV.

Quo autem magis umbratili modo salutaris illa gratia in typis proponebatur V. T., eo majori & clariori cum luce, Filio Dei ipso in carne manifestato, eadem hæc gratia tempore N. T. explenduit. Hoc enim ipso omnia illa, quæ prædicta erant ab omnibus Prophetis, simul impleta sunt, ut summo cum jure potuerit, εξοχμῶς loquendo, Paulus exclamare, Tit. II, 11, *illuxit gratia illa salutifera omnibus homi-*

hominibus, erudiens nos, ut, abnegatis mundi cupiditatibus, temperanter, juste & pie, vivamus in præsenti seculo, atque iterum, Rom. XIII, ii, sq., Nox præterlapsa est, & dies appropinquavit, imo propior nobis est salus, quam credebamus. Abjiciamus itaque opera tenebrarum, & induamur habitu, qui luci est conveniens. Omnia scilicet confessione maximum pietatis mysterium, quo Deus erat manifestandus in carne, tum quidem apparuerat, i Tim. III, 16, *Deus erat manifestatus in carne, justificatus in spiritu, conspectus ab Angelis, prædicatus gentibus, fides erat et habita in mundo, sursum erat receptus in gloriam.* Ipse prædicaverat, officio prophetico defunctus suo, regnum cœlorum quam maxime appropinquatum, Matth. IV, 17. Summa salutaris gratiæ, quam annuntiabat, hæc erat: *Sic Deus dilexit mundum, ut omnes, qui credunt in eum, non damnentur, sed habeant vitam æternam,* Joh. III, 16, vel secundum Joh, VI, 4: *Hæc est voluntas illius, qui misit me, ut Filiū si quis videat, inquit eum credat, habeat vitam æternam.* Nec prætermisit idem hic Servator, de ira divina maxime appropinquante, conciones frequenter repetitas, quarum hæc summa erat: *Qui non credet in Filium Dei, non videbit vitam, sed ira Dei manebit super eum,* ex Joh. III, 36, vel, *omnis arbor, malos fructus ferens, abscindetur, & in ignem immittetur,* ex Matth. VII, 19, cum quo illud recurrat, Joh. V, 23, *omnes palmites, fructum non ferentes, tollet Pater meus.* Eadem hæc summa erat concionis Johanneæ, tam de salutari gratia, quam ira Dei, appropinquante apud Matth. III, 2, 8, 10 "eripicte, appropinquavit regnum cœlorum, agite pœnitentiam.... & credite Evangelio, quia securis jam posita est ad arborum radicem, omnis igitur arbor, non ferens fructus bonos, excindetur, & in ignem abjicitur.

§. XV. Gratia Dei Spiritus Sancti, qua nobis omnis, hactenus explicata, salutaris Dei gratia applicatur, in se quidem spectata, una est, sicuti unus est Spiritus Sanctus, at actus tamen illi, quibus haec gratia nobis magisque appropinquat, diversi sunt, 1 Cor. XII, 4, sqq. Per gratiam vocantem salus ipsa eterna, cum sufficientissimis atque efficacissimis gratiae mediis, offertur, addita invitatione divina, ad haec admittenda, seu adhibenda, atque illam obtinendam. Per gratiam regenerantem, illuminantem ac convertentem, expulsis ex intellectu nebris, sublataque ineptitudine voluntatis naturali, mediantibus verbo & sacramentis, vires supernaturales ac spirituales ad poenitentiam & fidem conferuntur, ipsaque poenitentia & fides producitur. His ita collatis, sequitur justificatio, in qua homini peccatori, poenitenti & credenti, propter justitiam Christi, vera fide imputata, confertur remissio, & peccatorum, & poenarum omnium promeritarum, ipseque justus a Deo habetur & declaratur, inque numerum filiorum Dei coadoptatur. Inchoata, post hanc justificationem, per gratiam renovantem, sanctificatione, recipitur homo in unionem cum ipso Deo unitrino & Christo arctissimum, fitque unum cum Christo corpus mysticum. Hoc postea inhabitando, & intrinsecus in eo ineffabili modo operando, process ac poenitentiam perpetuam continuando, fidem conservando atque amplificando, auxilia gratiae in omni genere adversitatum, quandoque inusitata & prorsus singularia, suppeditando, omnesque fidei fructus producendo, non sustentat solum, sed & magisque purificat & sanctificat, usque dum ad plenam eternae salutis fruitionem perducatur. Ex quo appareat, quomodo Nominis divini appropinatio per omnes gradus gratiae Spiritus Sancti applicatrix se diffundat.

§. XVI. Restat *appropinquatio activa Nominis divini, secundum specialem providentiam divinam*. Haec vero nihil aliud est, quam hujusmodi operatio divina, qua Deus in conservatione ac gubernatione quorundam hominum ita se gerit ac cooperatur, ut erga illos singulares, nunc specialioris benevolentiae ac benignitatis, nunc sapientiae ac potentiae suae, nunc justitiae, actus, sic exerat, ut hi tales actus effectusque, quasi palpando sentiant, Deumque ipsum ex eo magisque agnoscant & glorificant. Ad hujusmodi appropinquationem specialioris providentiae divinae respexit Paulus, quando Deum nominat

nominat conservatorem omnium hominum, maxime vero piorum, 1 Tim. IV, 4; & Psaltes Ps. IV, 4, quando omnes ad hujus appropinquationis considerationem cohortatur his verbis: **וְרֹעֵיף־הַפְלָה יְהוָה** **חִסְרָה לֹז**, quæ SEB. SCHMIDIUS non male ita translulit: *Agno-scite quæsō, quod mirabilem faciat Jehova sanctum ipsi, & LUTHERUS: Erkennet doch, daß der Herr seine Heiligen wunderlich führe.* Sine dubio huc etiam pertinent verba Apostoli illa, quæ occurrunt, Phil. IV, 5, sq., ὁ Κύριος ἐγγὺς, μηδὲν μεριμνᾶτε, *Dominus propinquus est, nolite quicquam curare.* Psalmo CVI, 7, sq., describitur hæc appropinquatio Nominis divini per **כְּפָלֹאות יְהוָה** *admirabilia Dei opera*, & **רַב חִסְדָו**, *amplitudinem benignitatis ipsius, quam et si majores ejusdem in Aegypto et deserto non intellexerint, Deus tamen illis exhibuit, לְמַעַן שָׁמוֹ לְהִזְדֹּיעַ אֶת־גְּבוּרָתוֹ,* propter Nomen suum, *ut notam faceret potentiam suam.* Hæc est illa appropinquatio Nominis divini, quam experti sunt omnes propemodum Patriarchæ, in primis Enochus, Noachus, Abrahamus, Isaacus & Jacobus. Hanc experti sunt Moses & populus Israeliticus, omnesque sancti Dei Viri V. T., maxime David & Elias. Neque est, neque fuit, neque deinceps erit, quisquam vere fidelium N. T., qui non identidem repetat illud Mariæ ex Luc. I, 46, sqq., *magnificat anima mea Dominum, et exultat spiritus meus super Deo Servatore meo, quia magnifice tecum egit potens ille, cuius sanctum est nomen, et cuius misericordia in omnes aetas parata est timentibus ipsum,* qui non cum Davide hanc Nominis divini appropinquationem sibi exoret, ex Ps. XVII, 7, **הַפְלָה חִסְדְּךָ** *fac mirabiles benignitates tuas, qui servas recipientes se ad dexteram tuam ab insurgentibus.* Norunt omnes sancti, quod hæc appropinquatio Nominis divini, secundum singularem providentiam, etiam ad effectus justitiae divinæ se extendat, adeoque in *dissipandis quoque superbis cogitatione cordis sui, in detrudendis potentibus de throno, et extollendis humilibus, in exfatiandis esurientibus, et divitibus dimittendis inanibus,* similibusque judiciis divinis admirandis, & saepe prorsus inusitatis, sese exerat, Luc. I, 51, sqq., hinc in omni insultatione hostium ad Deum devolvuntur, & tales cum Davide preces fundunt, ex Psalm. XXII, 20: *Tu ergo, Jehova, ne procul absis, virtus mea ad auxilium festina, eripe a gladio animam nostram, et a cane unicum; Serva nos ab ore leonis, et a cornibus unicornium, exaudiens nos. Nos*

e contra-

econtrario enarrabimus Nomen tuum fratribus nostris, & in media congregatione te laudabimus. &c.

§. XVII. Oritur inde appropinquatio illa Nominis divini in nobis, quam in principio *appropinquationem fidei passivam* dixi. Est hæc nihil aliud, quam ipsa fides in nobis, ejusdemque quasi experientia quædam spiritualis, qua vere fideles & pii, per eandem hanc fidem, in se ipsam quasi reflexam, appropinquante in Dei, & gratiam, & providentiam specialem, agnoscunt & sentiunt, utrique, infallibili cum assensu, & fiducia filiali, adhærentes, expertique hac ratione veritatem omnium promissionum divinarum, singulari cum παρέγγεισθαι & πληροφορίαι fidei, in Deo suo lætantur, eundemque celebrant. Hæc in primis tene exeruit in Davide, cum alias, tum maxime in Ps. XCV, 1, sqq., quando, *agite, inquit, cantemus Jehova, clangamus rupi salutis nostræ. Eamus ante faciem ejus cum gratiarum actione, cum Psalmis clangamus ei: Nam Deus fortis magnus est Jehova, & rex magnus super omnes Deos, in cuius manu sunt ima vestigia terræ, penes quem sunt vires montium. Venite, incurvemus nos, & procumbamus; flectamus genua coram Jehova, qui fecit nos, cum ipse sit Deus noster, nos vero populus pastus ejus, & gressus ductus ejus.*

§. XVIII. Ex omnibus tandem hoc relinquitur, quod fideles Novi Testamenti omnibus gentibus haud tantum, sed & ipsis fidelibus V. T., quod ad hactenus explicata Nominis divini appropinquationem attinet, in multis præferri possint. Confirmat illud Servator ipse Matth. XIII, 16, sq. & licet in hoc loco suorum videatur Discipulorum oculos & aures tantum beatas prædicare, propterea, quod viderint & audiverint, quæ multi Prophetarum & justi desiderarunt vide-re & audire, & non viderint ea, nec audiverint, nihil tamen repugnat, quo minus & hoc ad omnes extendamus fideles N. T., cum & ipse Apostolus illud ad omnes quoque Ephesios referat, *qui olim, inquiens, eratis longinqui, facti estis propinqui per sanguinem Christi. Quamobrem, cum & nos sciamus, quod sumus Deo ita appropinquati, rogemus eum, ut maneat in nobis, & nos in eo, ut hic quoque sentiamus, quæ sint opes gloriae hæreditatis in sanctis, & quæ sit supereeminens illa magnitudo gratiæ ipsius, usque dum in eum evemur statim, ut appropinquare eidem amplius non possimus.*

• 08 (0) 50 •

Coll. olino II 186, 24